

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XX. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

hominem in interitum & perditionem  
mergit, 1. Tim. 6. v. 9.

Hinc igitur è contrario colligere pos-  
sumus, quanta gratia sit, quod Christus  
hanc peccatorum molem à nobis in se  
transtulerit, Esa. 53. v. 4. & hodie tenus verbi  
ministros mittit, qui potestatem habent  
hominibus peccata remittendi, & retinen-  
di, eo cum effectu, ac si Christus ipse imme-  
diate hoc munus obiisset, Matth. 18. v. 18.

Iccirco grato animo id agnoscentes,  
cum turbâ glorificemus Deum, qui dedit  
potestatem talem hominibus.

In Pontificia Ecclesia indulgentiæ carè  
venduntur: at in nostris Ecclesiis absque  
argento hicce thesaurus cuique concedi-  
tur, Esa. 55. v. 1. siquidem gratia Dei pecu-  
nia non possidetur, Actor. 8. v. 20. & ta-

men multi gratiam hanc, magno sui dis-  
pendio abjiciunt & spernunt, unde non  
mirandum, si in peccatis illi maneat. Non  
miseretur enim Deus omnibus, qui ope-  
rantur iniquitatem, Psal. 59. v. 7.

Videamus modò ut seriam in tempore  
gratiæ agamus penitentiam, sic non mo-  
dò remissionem peccatorum impetrabi-  
mus, sed & tandem veniemus in eum  
locum, ubi nulla absolutione nec peccato-  
rum indulgentia amplius indigebimus, sed  
ισούσιον erimus, Matth. 22. v. 30. Christo-  
que exhibebimur, tanquam pura sponsa,  
non habens maculam aut rugam, sed san-  
cta & irreprehensibilis, Ephes. 5. v. 27.

Fiat id per Christum JESUM,  
Amen.

## DOMINICA XX. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 22. v. 1.-15.*

### EXORDIUM.

**C**UM David, superato immani  
Goliatho, promissis aleretur,  
quod Rex Saul, illi filiam suam  
in matrimonium collocaturus  
esset, ille propterea in hæc verba erumpe-  
bat: Num parum videtur vobis, generum  
esse Regis? 1. Sam. 18. v. 23.

Hæc mysticè intelligemus.

David opilio erat, minimus & contem-  
tissimus inter fratres suos, 1. Sam. 16. v. 11.  
ita veri Christiani plerumque infimi sunt  
in mundo, & lampas contempta apud cogi-  
tationes divinum, Job. 12. v. 5. Verum  
Deus novit eos extollere, si tempus adest,

quod in consilio suo arcano decrevit. Li-  
cet enim in altis habitet, tamen humilia re-  
spicit, in cælo & in terrâ; erigens de pul-  
vere inopem, & de stercore exaltans pau-  
perem: ut collocet eum cum principibus,  
cum principibus populi sui, Psal. 113. v. 6.  
seqq.

Sicut enim Davidi successit, ut primò  
gener Regis, deindè post mortem Saulis  
Rex evaserit: ita nos Deus insigniter nobi-  
litavit, dum filio suo desponsavit nos.  
Quis igitur non placeret sibi? quis non  
exultaret, quod Deus ad eò appropinqua-  
vent nobis, ut per spiritualem filii sui de-

sponsationem socer noster factus sit? Num parum videtur vobis generum esse Regis? inquit David, ad servos Saulis. Nos plus causæ habemus respectu spiritualis hujus desponsationis nobis gratulandi, non enim tenue, sed mysterium magnum est, Eph. 5. v. 32. in quod desiderant Angeli prospicere, 1. Petr. 1. v. 22. quod miseri nos homunciones, Regis Regum generi facti sumus.

Deus Pater præclaram nobis dotem largitur, dum aperto bono suo thesauro cælo, Deut. 28. v. 12. benedicit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, Ephes. 1. v. 3.

Deus Filius est sponsus noster, amicè nos compellans: Surge, propere, amica mea, speciosa mea, & veni, Cant. 2. v. 13.

Deus spiritus sanctus est pignus hereditatis nostræ, & arrha, Eph. 1. v. 14. ut desponsationis hujus cælestis certi simus, signat enim quod Deus verax est, Joh. 3. v. 33.

Quis igitur non plaeret sibi, generum Regis se esse? verè enim de ejusmodi homine dicitur: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31.

Hæc de re agitur in prælecta Pericope. Deus enim Pater Rex ille est, qui Filio suo nuptias parat. Humana natura sponsa est, quam Filius Dei in unitatem Personæ adsumpsit: convivæ nuptiales sunt omnes homines, Judæi & gentiles, ut in ipsa explanatione pluribus ostenditur.

Nos instituti nostri memores visuri sumus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Sicut olim Lacedæmones per mancipia stemulenta filiis suis ebrietatem exosam & abominabilem reddiderunt: Ita Deus Opt. Max. in usu habet, ut in verbo suo, varia exempla peccatorum, eorumque turpitudinem nobis proponat, ut cautius mercari discentes, ea evitemus: scripta namque sunt ad admonitionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt, 1. Cor. 10. v. 11.

Idem nos observabimus in prælecta Pericope, ubi Servator noster sub eleganti parabola, de Rege, qui filio suo nuptias parat, Judæis ingratitudinem suam exprobrat. Erant enim illi populus acquisitionis, genus electum, regale Sacerdotium, 1. Per. 2. v. 9. illorum erant adoptio, & testamenta, & legislatio, & cultus & promissa, Rom. 9. v. 4. idè & præ omnibus gentibus eosdem ad nuptias Filii sui sub initium N. T. vocari voluit. Quia verò blandam hanc invitationem spreverunt, illis abjectis, gentiles in eorum locum substituit, ut Paulus testatur, Act. 13. v. 46.

Hoc quia ad nostram emendationem factum, querelam nobis moveat, eamque tristitiam: hinc inspiciemus

I. Divina invitationis contemptum. Invitati enim volebant venire. Et quamvis Rex secunda vice servos suos emisit, ut invitatis dicerent: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias: tamen & hanc invitationem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad ne-

gotiationem suam: reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt: quin & qui apparuerunt, non omnes mundi fuerunt, sed interfuit illis hypocrita, carens veste nuptiali.

Inveniuntur proinde hic

1. *Ingrati*, qui blandam hanc invitationem spernunt, & temporibus inhiare, quàm pietatem sectari malunt, quæ tamen promissionem habet hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. ideoq; non apti sunt Regno Dei, Luc. 9. v. ult. Matth. 10. v. 32.

2. *Maleferati*, qui socordes sunt ad bonum, hi si ad nuptias invitantur, & ad pietatem colendam exstimulantur, subsannant nuncios Dei, illuduntque Prophetis, 2. Paral. 36. v. 16. Nec hoc saltem: Sed si Sanctus in Israel, cessare non vult à facie sua, Esa. 30. v. 11. conspirant inter se dicentes: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris, Jer. 11. v. 21. Id perpetrarunt in Prophetis, in Christo ipso ejusque Apostolis, quos lapidarunt, secarunt, & in occisione gladii peremerunt, Hebr. 11. v. 36.

3. *Imparati*, qui veste nuptiali salvificæ fidei carentes, specietenus modò sedent, ut populus Dei, Ezech. 33. v. 31. in corde verò sunt pleni peccatorum spurcitie, ut sepulchra dealbata, Matth. 23. v. 27. hi non habent partem cum Christo, in cujus conspectum non venit hypocrita, Job. 13. v. 17. Matth. 7. v. 21.

Ita parabola hæc præcipuè ad Judæos directa est, qui soli peculium & amici ejus esse volebant, nec faciebant, quæ Deo placebant. Sed applicatio adhuc hodie locum habet in Ecclesia. Ubique enim fieri amat, quod B. Lutherus dixit: Ubi

verbum Dei quàm maximè prædicatur: ibi & maximam persecutionem experiri cogitur.

Magna hæc miseria est, quod Rex cæli & terræ, respectu cujus nos omnes, quasi stilla sicula, & quasi pulvisculus stateræ reputati sumus, Esa. 40. v. 15. tantâ nos gratia dignatur, quam tamen quasi pessundamus, & abjicimus, ut non immeritò querelam ingeminare queat: Audite cæli, & auribus percipe terra &c. Esa. 1. v. 2. seqq. Ubi verò væ minatur, ibi pœna non procul est: est enim Dominus, qui loquitur & facit, Ezech. 17. v. ult.

II. *Indignandum Regis animum*. Nam Rex iratus est. O indignationem! Leo rugivit, quis non timebit? Amos 3. v. 8.

Cum Rex Assuerus iratus esset, Aman statim intellexit, à Rege sibi paratum malum, Esther. 7. v. 7. indignatio Regis, nuncios mortis, Prov. 16. v. 14.

Quid igitur dicturi sumus de Deo, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium? 1. Tim. 6. v. 15. ejus ira est

1. *Ira formidabilis*. At det enim usque ad inferni infima, Deut. 32. v. 22. Montes commoti sunt ab eo, & colles colliquecunt, & contremuit terra à facie ipsius, & orbis, & omnes habitantes in eo, Nahum 1. v. 5. Est enim ejusmodi Dominus, qui animam & corpus perdere potest in gehennam, Matt. 10. v. 28.

2. *Ira inevitabilis*. A terrenis Regibus aufugere possumus, ut Davidis exemplum testatur, 1. Sam. 27. v. 1. Verùm iracundiam Regis cælestis nemo effugere valet, Psal. 139. v. 7. seqq.

3. *Ira incessabilis*. Reges terreni mortales sunt, & cum morte eorum ira emoritur, mor-

mortui canes enim non mordent. Hinc Deus mortuo Herode, Josepho annunciarum iussit: Defuncti sunt, qui querebant animam pueri, Matth. 2. v. 21. Qui verò Deum hostem habet, nunquam expiabitur: ira enim Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

Hanc intolerabilem Dei iram contemptores sibi attrahunt, quando ad nuptias paratas venire renuunt. Hæc magna miseria: & major adhuc illa est, quod nemo eandem agnoscat, juxta querelam Moïsi: Quis autem agnoscit iræ tuæ gravitatem? & juxta timorem tuum iram tuam? Psal. 90. v. 11.

Si quis igne læditur, continuo membrum retrahit: Nos vero aded stolidi & temerarii sumus, ut data opera in ignem curramus, & in interitum nos præcipitemus. Hæc magna est pervicacia & obstinatio.

Asina Bileami, cernens Angelum stantem in viâ, evaginato gladio, avertit se de itinere, & concidit sub pedibus sedentis, Num. 22. v. 23. Quidni nos potius à curvis peccatorum viis decederemus, quando Deum nobis adversantem, & gladium vindictæ in manu tenentem viderimus? Est enim justus judex, & Deus minitans per singulos dies: nisi conversi fueritis gladium suum acuit &c. Psal. 7. v. 12.

III. *Pœnarum secularum cumulum.* Rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Idem adhuc hodiè facit. Experta id est in bello trigesimali Germania nostra, ubi multæ civitates, & munimentâ, propter ingratitude & verbi divini contemptum expugnata, & incendio consumpta sunt, vel minimum ita exhausta, ut vix pristino splendori

restituantur. Non enim irridetur Deus, Galat. 6. v. 7. Sed quando ficulneam satis diu coluit, & stercoreavit, demùm eam, ubi fructum non invenit, succidit, Luc. 13. v. 7. eadem securi, quâ Isacæritas excidit, Rom. 11. v. 22.

Ah quanto amore prosequatur Dominus cives Hierosolymitanos! quanto desiderio congregatum illos ibat, ut gallina congregat pullos suos sub alas, si voluissent! Matth. 23. v. 37. Quia verò tempus gratiosæ visitationis agnoscere nolebant, misso exercitu suo, civitatem illorum aded prosternebat, ut solo illa æquaretur, & lapis super lapidem non relinqueretur, Luc. 19. v. 44. Hoc adhuc hodiè ita accidit. Quando verbi Præcones tolerare nequimus, qui nos docent utilia, Esa. 48. v. 17. tandem cataphractos immittit, qui crudelissimè nos tractant. Quodsi & hoc medio ad frugem non perducit homines, tandem id locum habet, quod porrò in Evangelio sequitur: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Hæc ita *compendiosa descriptio damnationis aeternæ* est, ubi damnati catenis constringentur, 2. Petr. 2. v. 4. in inferno ponentur, Psal. 49. v. 15. à facie Dei abjecti pœnas dabunt interitum æternum 2. Thess. 1. v. 9. & mortem non invenient, Apoc. 9. v. 6.

Nos hinc ansam capiamus, quomodo cautius ambulemus, ut hactenus factum, Eph. 5. 15. in mansuetudine suscipientes verbum veritatis, si horribiles has pœnas effugere velimus, Jac. 1. 21. tùm & sedulo oremus:

Servator, ô dulcissime,

Qui natus es, ex virgine

Averte nobis orcum!

ORATIO

De

## De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fuit  
 I. *Ex nuptiarum consideratione.* Hinc dicitur in Exordio Evangelii: Simile factum est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Intelligitur hic potissimum *Desponsatio Incarnationis*, ubi æternus Filius Dei ex utero castissimæ virginis Mariæ humanam carnem & sanguinem assumpsit, in unionem Personæ, ut in æternum separari nequeant. Licet enim Filius Dei cum Ecclesia quoque conjugium inierit, & illi in iustitia & iudicio, in misericordia & miserationibus se desponsarit, Ole. 2. v. 19. attamen spiritualis hæc desponsatio, inde originem trahit, quia non Angelos, sed semen Abrahamæ, assumpsit, nobisque in omnibus similis factus est, excepto peccato, Hebr. 2. v. 16.

Sicut igitur aliàs, vi vinculi conjugalis, maritus & uxor una caro fiunt, Gen. 2. v. 24. ita per unionem personalem Dei Filius, hominis Filius factus est, ut quidem in Christo sint duæ naturæ, divina & humana, quæ non confunduntur, nec transmuntantur, ut olim Eutychniani delirarunt: sed quælibet substantiam suam retineat: verum propterea non duæ personæ sunt: sed unus nobis est Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, 1. Cor. 8. v. 6. Hoc mysterium rationi obvium non est, unde in consideratione ejusdem exclamandum nobis: O profunditatem Divitiarum! Rom. 11. v. 33.

Aliàs divites divitias, formosi pulchritudinem, nobiles nobilitatem per connu-

bia quærunt, quod quidem non ad eum culpandum videtur, juxta Siracidis effatum, c. 13. v. 19. Verum Christus cum carne & sanguine nostro se despondit, ditissimus cum pauperrimis, elegantissimus cum deformibus, nobilissimus cum natione pravâ atque perversâ, Phil. 2. v. 15. Hoc Pater cælestis permisit ex merâ dilectione erga nos; Filius itidem ex ardente caritate fecit, quo miseros nos homunciones, à peccato, morte, Diabolo & inferno redimeret. Id quod Paulus vocat divitias gratiæ Dei, Rom. 2. v. 4. quod cælestis Pater Filium suum unigenitum mundo dat, Joh. 3. v. 16. & æternus Filius Dei, non modò Filius hominis, sed *sponsus meretricis* fit, ut Chrysostomus ait, & cum generatione mala & adultera se desponsat, Matth. 12. v. 39.

In veteri Testamento non licuit summo Sacerdoti violatam & meretricem ducere, sed virginem sibi desponsare tenebatur, Levit. 21. v. 13.

Verum Christus, qui est summus Sacerdos juxta ordinem Melchisedec, ad hanc legem se non adstrinxit: sed humanitatem in unitatem Personæ assumpsit, quin & ipse generis nostri factus est, quod eò melius nobiscum agere, & nos omnia bona ab eo expectare possemus. Quis hic non cum Psalte Regio exclamaret: Quàm pretiosa est misericordia tua Deus! Psal. 36. v. 8.

Quod si enim terrenus Rex Ahasverus, propter dilectam Esther universæ genti Judæorum gratiam exhibuit, eamque adversus Hamani furorem defendit, Esther 9. v. seqq. quântò magis Christus Rex Regum, propter sponsam suam, quæ est natura humana, cui se despondit, toti generi

neri humano gratiam largietur, idemque protecturus est, ne porta inferiorum praevalcant, adversus illud, Matth. 16. v. 1. Luc. 9. v. 56.

II. *Ex repetitâ vocatione.* Reversus enim prioribus servis, iisque referentibus, quod invitati venire nolint: non statim excandescit: sed æquo animo hunc contemtum perfert, & alios servos ablegat, ut dicant invitatis: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei, & altitia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Ubi & hi nihil efficiunt, sed contumeliis afficiuntur, & occiduntur: irascitur quidem Rex, ut missis exercitibus suis perdat homicidas illos, & civitatem eorum succendat: attamen non solus Regnum cælorum possidere vult: sed mittit servos suos ad exitus viarum, ut quoscunque invenerint, vocent ad nuptias, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium.

Hoc sanè luculentum *longanimitatis divina exemplum* est, quam hæc in re Rex cæli erga nos ostendit, dives enim est in misericordiâ, Ephel. 2. v. 4. & tardus ad iram, Joël. 2. v. 14. ideo non in ipso facto punit: sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24.

Cum Rex Ahas verus Eunuchum suum ablegaret, ut introduceret Reginam Vasthi coram Rege, posito super caput ejus diademate Regni: illa verò tenuerit, & venire contemneret: iratus valdè Rex & nimio furore succensus, repudiavit eam, & posuit diadema Regni in capite Esther, fecitque eam regnare in loco Vasthi, Ester. 1. v. 12. 2. v. 17.

Sic Deus nobiscum non agit, sed est longanimis & multa: bonitatis & veritatis,

Exod. 34. v. 6. ideo non abjicit nos continuo, si fortè in delicto aliquo præoccupati fuerimus, Gal. 6. v. 1. Sed duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem, Sir. 23. v. 21.

Possit quidem Deus in ipso facto justitiam suam exercere in impios, ut fecit in Nabale, 1. Sam. 25. v. 38. in Ufa, 2. Sam. 6. v. 6. in Anania & Saphira, Act. 5. v. 5. quia verò patiens & misericors est, non facit furorem iræ suæ, Os. 11. v. 9. sed locum relinquit pœnitentiæ: patienter enim agit propter nos, nolens illum perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 9. Id quod agnovit David, 2. Sam. 24. vers. 13. 14.

Videamus ne divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnamus: secus defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. ascenditque furor ejus, ut nulla sit curatio, 2. Chr. 36. v. 16.

III. *Ex lautissimâ tractatione.* Rex enim mandabat servis, ut dicerent invitatis: Ecce, prandium meum paratum, tauri mei & altitia occisa sunt, & omnia parata.

In Magnatum hujus mundi epulis, sæpè magnifici apparatus fiunt.

Cum Rex Bohemiæ Wenzeslaus nuptias celebraret, cum filiâ Imperatoris Rudolphi I. quotidie Pragæ cibabantur hominum centum millia.

Sed nihili æstimandum venit respectu lautissimarum epularum, quas cælestis Pater in Filii nuptiis apponi curat, hæc in tempore gratiæ, & ibi in Regno gloriæ. Ideò dicere jubet invitatis: Venite, omnia parata sunt: hæc solatium animæ, remissionem peccatorum, justitiam & salutem venietis. In nuptiis Canæ Galilee vinum de-

defecturum erat, Joh. 2. v. 4. At hinc non destituemur illo bono, Psal. 34. v. 15. Sed Dominus est omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28. & quæ petierimus in nomine ejus, sunt Etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

Quemadmodum verò in nuptiis, convivæ raro statim in domum nuptialem se cõferunt, sed ante in atrio conveniunt: Ita mundus quasi atrium est, in quo cœlestes epulas expectamus, non enim antè plenariè pertingere possumus in gaudium nuptiale, dum per mortem temporalem janua nobis pandatur, Joh. 5. v. 24. tùm Regem in decore suo videbit oculi nostri, Efa. 33. v. 17. sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2. & claritatem quam dedit illi Pater, Joh. 17. v. 14. in novâ Hierusalem, ubi portæ ex margaritis, & platea civitatis, tanquam aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum, Apoc. 21. v. 21.

In nuptiis mensæ conquistissimis epulis instruuntur, & flos Liberi apponitur, Joh. 2. v. 11.

Sic & in nuptiis Agni clapes lautissimæ inferentur: ibi fluent fluvii puri aquæ vivæ! ibi apponetur manna cœlestis! ibi vinum lætitiæ electos quotidie reficiet, Apoc. 22. v. 1.

In nuptiis suavis quoque Musica exhibetur, Sir. 32. v. 7. Neque hæc deerit in vitâ æterna, Ibi laudabunt Angeli, laudabunt electi Dominum in Sanctuario ejus, laudabunt eum in firmamento virtutis ejus, Psal. 150. v. 1. & seqq.

In nuptiis ejusmodi amici conveniunt, qui antehac raro vel nunquam se viderunt, & lætantur, quamdiu sponsus est cum illis, Marc. 2. v. 19. in vitâ æterna omnes nostros familiares offendemus, qui per mortem ex

oculis nostris erepti sunt. Ibi accumbemus cum Abraham, Isaac & Jacob, Matth. 8. v. 11. in perpetuis lætitiis & lætitiis, Efa. 65. v. 14.

Consolamini igitur invicem in verbis istis, Vos mei! quando vestros ad tumulum prosequimini. Ne fleatis! ad nuptias illi mearunt, ubi nulla ægritudo illos perturbat. An parentes lugent, si liberi prohi nuptias adierunt? Minimè. Multo minus vos habetis causam, mortem familiarium lugendi: quodsi enim placidè in Domino mortui sunt, beati sunt à modò, Apoc. 14. v. 13. idèd non invidemus illis beatitudinem hanc, quin potius & ipsi parati expectemus sponsum nostrum, ut, si & nos ad nuptias abducturus veniet, cum virginibus prudentibus, ornatis lampadibus ipsi obviam eamus, & in nuptias cœlestes intròducamur, Matth. 25. vers. 1. seqq.

### De Tertio.

**R**estat *Caute*la, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Gratiam agnosce*. Non enim parum est, quod nos Deus quotidie ad nuptias Filii sui per servos suos invitati curat: non ut *præstemus operas vestigalis*, ut Gibeonitæ qui cædere ligna, & aquas comportare cogebantur, Jos. 9. v. 27. aut ad mensam ministremus, sicut herus servi operâ utitur, ut præcingat se & ministret, Luc. 17. v. 8. sed ut convivæ ejus simus, ipsi mensæ accumbamus, & omnibus beneficiis ejus fruamur. Grata igitur mente illud agnoscamus oportet: Sumus enim indigniores Mephibosetho, qui tamen mortuum canem

nem



nem se nominat, 2. Sam. 9. v. 8. Dicamus ergo cum Jacobo: Minor sum cunctis miserationibus tuis, Gen. 31. v. 10.

Si quis aliàs ad nuptias invitatur, in magno honore id habet, si sponso & sponsæ affinis non est, maximè si id fiat ab hominibus in autoritate constitutis: Quanto magis nos virtutes annunciemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum, 1. Petr. 2. v. 9. non enim hanc gratiam meruimus, sed quicquid facit, præstat ex mera misericordia, ut Paulus indicat, 2. Tim. 1. v. 9.

Gibeonitæ Legatis ad Josuam missis, gratiam petebant, ne ut aliæ civitates & ipsi igne & ferro delerentur, Jos. 9. v. 4. seqq.

Id nos non fecimus, & tamen nos Deus ultro respexit, hæc viscera misericordiae Dei sunt, in quibus visitabit nos Oriens ex alto, Luc. 1. v. 78.

Exultate hinc, Vos mei! & quando Diabolus telis suis ignitis vos infestat, vel conscientia angit, aut lex maledicit, aut peccatum condemnare intendit, gratiam Dei arripite, cum Ecclesia dicentes: Ich lig im Streit und widersireb / hilff O Herr Christ den Schwachen / 26. Gratiâ enim Dei sumus, quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. quâ credimus nos salvari, ut & Patres, Act. 15. v. 11.

Sed cavetè, ô Optimi! ne gratia Dei abutamini, Sir. 5. v. 4. 6. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat, ut Val. Maximus ait: & ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 7.

II. *Invitatus appare.* Ex hac enim causa Deus te invitare jubet, ut accedas. Quinimò expandit manus suas tota die, ad po-

pulum contumacem, qui graditur in viâ non bona, post cogitationes suas, Esa. 65. 2.

Saulus Davidem sæpiusculè invitavit, sed non ex amore, ut eum benignè exciperet, sed ut occasione potiretur, cum perimendi, 1. Sam. 20. v. 25. seqq.

Sic & Absolon instituto convivio Amnonem fratrem, animo non sincero invitavit: vino enim temulentum per servos suos interfecit, 2. Sam. 13. v. 28.

Ejusmodi hypocrisis & simulatio in Deo minimè metuenda nobis est: impossibile enim est eum mentiri, Hebr. 6. v. 18. Propterea irascitur ingratis his convivis, ubi venire renuunt, & missis exercitibus suis, perdit illos, & civitatem eorum succendit: verè namque Moses: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & reclusus, Deut. 32. v. 4.

Hoc quia scimus, eò promptius appareamus in nuptiis hisce, ne frustra clamemus servi, quando ut tuba exaltant vocem suam, dicentes: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5. v. 20. Aliàs non impunè dimittet id Deus. Vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 24.

Athenis olim pro peculiari civitate & virtute habebatur, si convivæ justo tempore apparerent. Hinc eum Polybius vehementer accusaretur, & hoc inter alia in apologia sua adducebat, quod nunquam, si ad convivium vocatus fuisset, ultimus apparuisset.

Multò magis nos in cœlestibus his nuptiis in tempore promptè compareamus, sic nobis laus erit aliquando, 1. Cor. 4. v. 5. Nam ut aliàs dici solet! Tardè veniètes, ma-

lè sedētes: sic & illi, qui cœlestes has epulas negligunt, in Regno ecelorum sedem non inuenient: sed cum virginibus fatuis vocem lamentabilem audient: Non novi vos, Matth. 25. v. 12.

Qui verò hîc in tempore gratiæ promtè comparent in nuptiis agni, illos aliquando sponſus cœlestis mentæ suæ adhibebit in vita æterna, & velut torrente voluptatis potabit, Psal. 36. v. 10. Dat enim hæreditatem timentibus nomen suum, Pl. 61. 6.

III. *Vestem nuptialem iudue.* Hoc apprimè necessarium est. Ut enim intravit Rex ad videndum discumbentes: & videns hominem non vestitum veste nuptiali, non modò eum graviter increpat, inquiens: Amice, quomodo huc intraſti, non habens vestem nuptialem? sed & mandat, ut ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras mittatur.

Per vestem nuptialem non intelligitur vestis aurea, quali Alexander M. & Herodes vestiti fuère, Act. 12. v. 21. Hoc enim modò pauperes excluderentur, qui in ovillis & pellibus caprinis incedunt, Hebr. 11. v. 37. contra, quàm Jacobus docet, cap. 2. v. 5.

Nec intelligitur cucullus Monachi, qui in Papatu magni æstimatur. Omnis enim iustitia nostra est sicut pannus menstruata, Esa. 64. v. 6.

Nec etiam particula de tunica Christi, de qua milites post crucifixionem Christi fortiti sunt, Joh. 19. 24. et si enim in Papatu multis in locis ostenditur, tamen merè præstigiz sunt: & licet adesset, nihil conferret nobis.

Sed *vestis nuptialis est Christi innocentia & iustitia*, quam in baptismo induimus, Gal.

3. v. 27. & deinde per auditum verbi, & dignum Sacramentorum ulum semper renovamus, ut & alii fratres nostri odorem vestimenti hujus percipiant, & ad veram devotionem & pietatem incitentur, Matt. 5. v. 16. hoc per pellem aguinam præfiguratum est: quâ Deus Protoplastos nostros post lapsum amicitavit, Gen. 3. v. 21. Jesus enim agnus Dei est, tollens peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

Natura sumus miseri & miserabiles, & pauperes, & cœci & nudi, Apoc. 3. v. 17. infernales enim latrones, vestem concreta: justitiæ & sanctitatis nobis exuerunt, Luc. 10. v. 30.

Ergò ipsa æquitas, imò necessitas requirit, ut utrâque manu apprehendamus tunicam justitiæ, quam Christus nobis acquisivit: hæc melius nos contegere valemus, quàm David, qui non caleſcebat, licet operiretur vestibus, 1. Reg. 1. v. 1. melius nos exornare possumus, quàm filia Sion, qui propterea à Deo objurgantur, Esa. 3. v. 18. oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. sine quâ impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Jacob fecit filio Josepho tunicam polymitam, quia eum in senectute genuerat, & præ reliquis filiis diligebat, Gen. 37. v. 3.

Sic nos inde colligamus, quod diligat nos Deus, quia nos induit vestimentis salutis, & indumento justitiæ operuit, in quibus exultare possumus, quasi sponſus Sacerdotali ornatu, & quasi sponſa ornata monilibus suis, Esa. 61. v. 10.

Licet multa sustinenda sint in hoc mundo: confidite Vos mei! merces vestra copiosa erit in cœlis, Matth. 5. v. 12. ubi exuet Deus saccum, Psalm. 30. vers. 12.

& trans-

& transfigurabit corpus humilitatis vestrae configuratum corpori claritatis Christi, Philip. 3. v. 21. ut fulgeatis sicut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. & sicut

Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43. Id quod Deus omnibus nobis ex gratia, propter Christum largiri dignetur, Amen.

## DOMINICA XXI. POST TRINIT.

*Evangelium Joh. 4. v. 47 -- 54.*

### EXORDIUM.

**T**unica hyacinthina summi Pontificis Aaronis olim deorsum per circuitum malis punicis & tintinnabulis aureis ornata fuit: ut audiretur sonitus, quando ingrederetur & egrederetur Sanctuarium, in conspectu Domini, Exod. 28. v. 33. Confer Sir. cap. 45. v. 11.

Sicut igitur totum Sacerdotium Leviticum typus Christi fuit, velut id Epistola ad Hebræos ex ordine dilucidè exposuit: Sic & hæc aurea tintinnabula habent, quod præfigurent.

Aarone ingrediente & egrediente, tintinnabula audiebantur: Ita & Christus, summus N. T. Pontifex, in diebus carnis coram Domino ingressus & egressus est, nec saltem docuit sicut auctoritatem habens, Matth. 7. v. 29. sed & multa præclara miracula edidit, Matth. 11. v. 4. hæc quasi tintinnabula aurea fuerunt, quæ sonitum adedò jucundum ediderunt, ut homines certatim eum insecuti, necessitatem & calamitatem suam ipsi exposuerint, & auxilium atque liberationem impetrarint. Sicut nobis egregium exemplum proponitur in prælecta Pericope in Regio, qui procul dubio & ipse aurea tintinnabula

Servatoris & summi Pontificis hujus audivit, quomodo in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum commutavit, & Capernaumi varios morbos curaverit: ideo quærit auxilium, ubi inveniri potest, utrum filius suus, qui febri ardente laborabat, & tantum non animam agebat, pristinae sanitati restitui possit.

Nos instituti nostri memores, videbimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

*Exegesis.*

**I**N Phrygia duo fontes esse perhibentur, hac natura præditi, ut alter bibentibus sletum, & hinc κλειον, alter risum moveat, & hinc γελων appelletur.

Prælecta Pericope, non dissimilis his fontibus est. Ego, Vos mei! hauriam Vos Eleasarem imitantes, dicite: Inclina hydriam tuam, ut bibam, Gen. 24. v. 14. sic utrumque effectum sentietis.

Imprimis verò causam habemus lacrymandi & querelam repetendi, si spectemus